

re fallacem. At, inquiunt, sine fine puniri non debet culpa cum sine: quibus respondemus, quod recte dicerent, si iudex iustus non corda hominum, sed facta pensaret. Ad districti ergo iudicis iustitiam pertinet ut numquam careant supplicio quorum mens in hac vita numquam voluit carere peccato. *Augustinus* de Civ. Dei (Lib. 21. cap. 1.) Nullius etiam legis iustitia attendit ut tanta mora temporis quisque puniatur, (1) quanta unde puniretur admisit. Nullus enim extitit qui censeret tam cito nocentium finienda (2) esse tormenta, quam cito factum est homicidium, vel adulterium. Qui vero pro aliquo grandi crimine morte multatur, numquid moram qua occiditur, ejus supplicium leges existimant, & non quod eum in sempiternum auferant à societate viventium? Jam vero damnum, ignominia, exilium, servitus, cum plerumque sic infligantur ut nulla venia relaxentur, nonne pro hujus vita modo similia penis videntur æternis? Ideo quippe æterna esse non possunt, quia nec ipsa vita quæ his plectitur, pernititur in æternum. Sed inquiunt: Quomodo ergo verum est quod ait Christus supra 7. *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis*; si temporale peccatum supplicio puniatur æterno? (3) Nec attendunt non propter æquale temporis spatium, sed propter vicissitudinem mali; id est, ut qui mala fecerit mala patiatur, eandem dictam mensuram fuisse. Factus est autem homo malo dignus æterno, qui hoc in se peremit bonum quod esse possit æternum. *Gregorius* (a) (Lib. 4. Dial. cap. 44.) At inquiunt: Nullus iustus crudelitatis pacitur, & delinquens servus à iusto domino idcirco cædi præcipitur, ut à nequitia corrigatur. Iniqui autem gehennæ ignibus traditi, quo sine semper ardebant? Quibus respondemus, quod omnipotens Deus, quia pius est, miserorum cruciatu non pascitur; quia autem iustus est, ab iniquorum ultione non sedatur: & tamen ad aliquid iniqui semper concremantur, ut scilicet iusti tanto in æternum magis divinæ gratiæ debitores se esse cognoscant, quanto in æternum mala puniri conspiciunt, quæ ejus adiutorio vitare poterunt. *Augustinus* 21. Lib. de Civ. Dei (cap. 17.) Sed nullum est, inquiunt, corpus quod dolere possit, mori non possit. Necessè est autem ut vivat dolens, non est necesse ut occidat dolor: quia nec corpora

(1) *Al.* quanta mora temporis unde &c. (2) *Al.* omittitur esse. (3) *Al.* attenduntur propter æquale &c. (4) *Al.* misericordias, & sic infra. *P. Nicolai* habet faciendo sanctis veras miseras &c. (5) *Al.* ab humano erat affectu. (6) *Al.* ergo, item autem ergo. (7) *Al.* non solum.

EX EDIT. P. NICOL. (a) 34. Moral. ut supra: nempe cap. 16. in codd. novis, cap. tamen 12. in antiquis. Eadem quoque habet Lib. 4. Dialogorum cap. 44. ad ininterrogationem Petri respondens.

(b) 34. Mor. ut supra.

ista mortalia omnis dolor occidit: & ut dolor aliquis possit occidere, illa causa est, quoniam sic connexa est anima huic corpori ut summis doloribus cedat, atque discedat; tunc autem tali corpori anima, & eo connectitur modo ut illud vinculum nullo dolore vincatur. Non ergo tunc nulla, sed femperiterna mors erit, quando nec vivere anima poterit, Deum non habendo, nec doloribus corporis carere moriendo. Inter hujusmodi autem æternitatem supplicii negantes misericordior fuit Origenes, qui & ipsum diabolum, & angelos ejus post graviora pro meritis, & diuturna supplicia ex illis cruciatibus eruendos, & sociandos sanctis Angelis credidit. Sed illum & propter hoc, & propter alia nonnulla non immerito reprobovit Ecclesia: quia & hoc quod misericors videbatur amisit, faciendū veras (4) miseras, quibus penas luerent, & falsas beatitudines in quibus securum, & sempiternum boni gaudium non haberent. Longe autem aliter aliorum misericordia (5) errat affectu, qui hominum illo iudicio damnatorum miseras temporales, hominum vero qui vel citius, vel tardius liberantur, æternam felicitatem putant. Cur autem hæc misericordia ad universam naturam manat humanam, & cum ad angelicam ventum fuerit, mox arefcit? *Gregorius* (b) (Lib. 4. Dial. cap. 44.) At inquiunt: Ubi est quod sancti sunt, si pro inimicis suis, quos tunc ardere viderint, non orabunt? Orant quidem pro inimicis suis eo tempore quo possunt ad fructuosam penitentiam eorum corda convertere; quomodo (6) autem tunc orabitur pro illis qui jam nullatenus possunt ab iniquitate commutari? *Augustinus* 21. de Civ. Dei (cap. 19.) Item sunt alii ab æterno supplicio liberationem non omnibus hominibus promittentes, sed tantummodo Christi baptisimæ ablutis, qui participes sunt corporis ejus, quomodolibet vixerint: propter illud quod ait Dominus Joan. 6. „ Si quis manducaverit ex hoc pane, non morietur in æternum. “ (Cap. 20.) Item sunt qui non omnibus habentibus Christi sacramentum, (7) sed solum catholicis, quamvis male viventibus, hoc pollicentur, qui non solum sacramento, sed re ipsa manducaverunt corpus Christi, in corpore ejus quod est Ecclesia constituti, etiam si postea in aliquam hæresim, vel in gentilium idolatriam fuerint lapsi.

(Cap.

(Cap. 21.) Sunt autem qui propter id quod scriptum est supra 24. *Qui perseveraverit usque in finem hic salvus erit*, non nisi in catholica Ecclesia perseverantibus hoc promittunt, quod merito fundamenti, id est fidei, per ignem salventur; quo ignem in ultimo iudicio punientur mali. Sed omnibus his contradicit Apostolus dicens Gal. 6. „ Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt immunditia, fornicatio, & his similia: quæ prædico vobis, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. “ Si quis autem temporalia in corde suo præponit Christo, etiam videatur habere fidem Christi, non est tamen in eo fundamentum Christus, cui alia præponuntur: quanto magis si committat illicita, non præposuisse, sed postposuisse Christum, convincitur? (Cap. 22.) Comperitiam quosdam putare eos solum arduos illius æternitate supplicii qui pro peccatis dignas eleemosynas facere negligunt; ideo iudicem ipsum noluisse existimant aliud commemorare se esse dictatum, nisi eleemosynas sive factas, sive non factas. (Cap. 27.) Sed qui digne pro peccatis suis eleemosynas facit, prius eas facere incipit à seipso: indignum est enim ut ipse sibi non faciat qui facit in proximum, cum audiatur dicentem Deum supra 22. *Diliges proximum tuum sicut teipsum*: itemque audiatur Eccl. 30. „ Miserere animæ tuæ, placens Deo. “ Hanc eleemosynam, id est ut Deo placeat, non faciens animæ suæ, quomodo dignas pro peccatis suis fa-

cere eleemosynas dicendus est? Propter hoc ergo eleemosynæ faciendæ sunt, ut cum de præteritis peccatis deprecamur, exaudiamur, non ut in eis perseverantes licentiam male faciendi nos per eleemosynas comparare credamus. Ideo autem Dominus à dextris eleemosynas ab eis factas, in sinistris non factas se imputaturum esse prædixit, ut hinc ostenderet quantum valent eleemosynæ ad priora delenda, non ad perpetua impune committenda peccata. *Origenes* (tract. 34.) Vel non unius tantum iustitiæ species remuneratur, sicut existimant multi. In quibuscumque enim causis mandatum Christi quis fecerit, Christum cibatur, & potatur, qui fidelium iustitiam, & veritatem manducat, & bibit. Item Christo algeni teximus vestimentum, accipientes sapientiæ texturam, adeo ut per doctrinam aliquos doceamus, & induamus eos viscera misericordiæ. Quando etiam præparamus cor nostrum diversis virtutibus ad receptaculum ejus, vel illorum quæ sunt ipsius ipsum peregrinantem suscipimus in domum peccatoris nostri. Item eum fratrem infirmum sive in fide, sive in bono opere visitaverimus, aut per doctrinam, aut in crepationem, aut per consolationem, (1) ipsum Christum visitamus. Deinde omne quod hic est, carcer est Christi, & eorum qui sunt ejus, qui sunt in hoc mundo degentes, quasi etiam in carcere naturæ necessitate conficti. Cum ergo bonum opus in eis fecerimus, visitamus eos in carcere, & Christum in eis.

(1) *Al.* qui ipsum.

CAPUT XXVI.

(a) ET factum est, cum consummasset Jesus sermones hos omnes, dixit discipulis suis: Scitis quia post biduum pascha fiet, & Filius hominis tradetur ut crucifigatur.

(b) Tunc congregati sunt principes sacerdotum, & seniores populi in arrium principis sacerdotum, qui dicebatur Caïphas, & consilium fecerunt, ut Jesum dolo tenerent, & occiderent. Dicebant autem: Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo.

(c) Cum autem esset Jesus in Bethania in domo Simonis leprosi, accessit ad eum mulier habens alabastrum unguenti pretiosi, & effudit super caput ipsius recumbentis. Videntes autem discipuli, indignati sunt dicentes: Ut quid perditio hæc? Potuit enim istud venundari multo, & dari pauperibus. Sciens autem Jesus ait illis: Quid molesti estis huic mulieri? Opus enim bonum operata est in me. Nam semper pauperes habetis vobiscum, me autem non semper habetis. Mittens enim hæc unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit. Amen dico vobis, ubicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur & quod hæc fecit in memoriam ejus.

(d) Tunc abiit unus de duodecim, qui dicebatur Judas Scarioth, ad principem sacerdotum, & ait illis: Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? At illi constituerunt ei triginta argenteos. Er exinde quarebat opportunitatem ut eum traderet.

(e) Prima autem die azymorum accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere pascha? At Jesus dixit: Ite in civitatem ad quemdam, & dicite ei: Magister dicit: Tempus meum prope est, apud te facio pascha cum discipulis meis. Er fe-

erunt discipuli sicut constituit illis Jesus, & Paraverunt pascha.

(f) Vespere autem facto discumbebat cum duodecim discipulis suis, & edentibus illis dixit: Amen dico vobis, quia unus vestrum me traditurus est. Et contristati valde, coeperunt singuli dicere: Numquid ego sum, Domine? At ipse respondens ait: Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet. Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo. Væ autem homini illi per quem Filius hominis tradetur. Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille. Respondens autem Judas, qui tradidit eum, dixit: Numquid ego sum Rabbi? Ait illi, Tu dixisti.

(g) Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, & ait: Accipite, & comedite; hoc est corpus meum.

(h) Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes: hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genere vine vitis usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.

(i) Et hymno dicto, exierunt in montem Oliveti. Tunc dicit illis Jesus: Omnes vos scandalum patlemini in me in ista nocte. Scriptum est enim: Percutiam pastorem, & dispergentur oves gregis. Postquam autem resurrexero, præcedam vos in Galilaam. Respondens autem Petrus, ait illi: Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego numquam scandalizabor. Ait illi Jesus: Amen dico tibi, quia in hac nocte, antequam gallus canter, ter me negabis. Ait illi Petrus: Etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter & omnes discipuli dixerunt.

(k) Tunc venit Jesus cum illis in villam quæ dicitur Gethsemani, & dixit discipulis suis: Sedete hic, donec vadam illuc, & orem. Et assumpto Petro, & duobus filiis Zebedæi, coepit contristari, & mæstus esse. Tunc ait illis: Tristis est anima mea usque ad mortem. Sustinete hic, & vigilate mecum.

(l) Et progressus pusillum, procidit in faciem suam, orans, & dicens: Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste. Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Et venit ad discipulos suos, & invenit eos dormientes; & dicit Petro: Sic non potuisti una hora vigilare mecum? Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Iterum secundo abiit, & oravit dicens: Pater mi, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua. Et venit iterum: & invenit eos dormientes: erant enim oculi eorum gravati. Et relictis illis iterum abiit, & oravit tertio, eumdem sermone dicens.

(m) Tunc venit ad discipulos suos, & dicit illis: Dormite jam, & requiescite. Ecce appropinquavit hora, & Filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite, camus. Ecce appropinquavit qui me tradet.

(n) Adhuc eo loquente, ecce Judas unus de duodecim venit, & cum eo turba multa cum gladiis, & fustibus missi à principibus sacerdotum: & senioribus populi. Qui autem tradidit eum, dedit illis signum, dicens: Quemcumque osculatus fuero, ipse est: tenete eum. Et confestim accedens ad Jesum, dixit, Ave Rabbi: & osculatus est eum. Dixitque illi Jesus: Amice, ad quid venisti? Tunc accesserunt ad eum, & manus injecerunt in Jesum, & tenuerunt eum.

(o) Et ecce unus ex his qui erant cum Jesu, extendens manum exemit gladium lunam, & percussit servum principis sacerdotum, amputavit auriculam ejus. Tunc ait illi Jesus: Convertere gladium tuum in locum suum: omnes enim qui acciperint gladium, gladio peribunt. An putas quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones Angelorum? Quomodo ergo implebuntur Scripturæ, quia sic oportet fieri?

(p) In illa hora dixit Jesus turbis: Tamquam ad latronem exiit cum gladiis, & fustibus comprehendere me. Quotidie apud vos sedebam docens in templo, & non me tenuistis. Hoc autem totum factum est ut adimplerentur Scripturæ Prophetarum. Tunc discipuli omnes relicto eo fugerunt. At illi tenentes Jesum duxerunt ad Caipham principem sacerdotum, ubi scribæ, & seniores convenerant. Petrus autem sequebatur eum à longe, usque in antium principis sacerdotum. Et ingressus intro, sedebat cum ministris, ut videret finem.

(q) Principes autem sacerdotum, & omne concilium querebant falsum testimonium contra Jesum, ut eum morti traderent, & non invenerunt, cum multi falsi testes accessissent. Novissime autem venerunt duo falsi testes, & dixerunt: Hic dixit: Possum destruere templum Dei, & post triduum reedificare illud. Et surgens princeps sacerdotum ait illi: Nihil respondes ad ea quæ illi adversum te testificantur? Jesus autem tacebat.

Et

Et princeps sacerdotum ait illi: Adjuvo te per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Christus Filius Dei. Dicit illi Jesus: Tu dixisti. Verumtamen dico vobis, amodo vobis debitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus caeli. Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens Blasphemavit. Quid adhuc egemus tæstibus? Ecce nunc audistis blasphemiam. Quid vobis videtur? At illi respondentes dixerunt: Reus est mortis. Tunc expuerunt in faciem ejus, & colaphis eum cæderunt, alii autem palmis in faciem ejus dederunt, dicentes: Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit?

(r) Petrus vero sedebat foris in atrio: & accessit ad eum una ancilla dicens: Et tu cum Jesu Galilæo eras. At ille negavit coram omnibus, dicens: Nescio quid dicis. Exeunte autem illo janua, vidit eum alia ancilla, & ait his qui erant ibi: Et hic erat cum Jesu Nazareno. Et iterum negavit cum juramento, Quia non novi hominem. Et post pusillum accesserunt qui stabant, & dixerunt Petro: Vere tu ex illis es: nam & loquela tua manifestum te facit. Tunc cepit derelictari, & jurare, quia non novisset hominem. Et continuo gallus cantavit. Et recordatus est Petrus verbi Jesu quod dixerat, Priusquam gallus canter, ter me negabis. Et egressus foras sivit amare.

(a) **H**ilarius (can. 28. in Matth.) Post sermonem quo venturum se Dominus in reditu claritatis ostenderat, nunc passurum esse se admonet, ut sacramentum crucis admixtum esse gloriæ æternitatis cognoscerent: unde dicitur: *Factum est, cum consummasset Jesus sermones hos omnes. Rabbanus. De consummatione sæculi, & de die judicii; vel quia ab initio Evangelii usque ad passionem omnia faciendo, & predicando compleverat. Origenes (tract. 35.) Non simpliciter autem dixit omnes, sed hos omnes: adhuc enim oportebat eum etiam alios loqui sermones priusquam traderetur.*

Dixit discipulis suis: Scitis quia post biduum pascha fiet. Rabbanus. (a) Sicut ex Joannis narratione colligitur, ante sex dies paschæ venit Jesus in Bethaniam, inde venit Hierusalem sedens super asellum, postea geruntur ea quæ narrantur Hierosolymis gesta. Ex illo ergo die quo venit in Bethaniam, intelligimus consummationem quadratum, ut occurreret dies ante biduum paschæ. Hoc autem inier pascha & azyma distat, quod pascha ipse solus dies appellatur in quo agnus occidebatur ad vesperam, hoc est decimaquarta luna primi mensis: decimaquinta autem luna, quando egressus est populus de Ægypto, succedebat festivitas azymorum. Verum Evangelistæ unum pro altero ponere solent. Hieronymus (non procul à princ. Comment. in 26. cap. Matth.) Pascha autem, quod Hebraice dicitur pascha, non à passione, ut plerique arbitrantur, sed à transitu nominatur, eo quod exterminator videns sanguinem in foribus Israelitarum pertransierit, nec percussit eos; vel ipse Dominus præbens auxilium populo suo desuper ambulaverit. Remigius. Sive quia auxiliante Domino populus Israeliticus liberatus ab S. Thom. Oper. Tom. VIII.

(1) Al. omititur sed.

Ex edit. P. NICOL. (a) Ex Augustino mutuatus Lib. 3. de Conf. Evan. cap. 78. (b) Non est in Glossa quæ nunc extat, sed in Anselmo.

Ægyptiaca servitute transivit ad libertatem. Origenes (tract. 35.) Non autem dixit, Post biduum pascha erit, aut veniet, ne ostenderet illud pascha futurum quod fieri solebat secundum legem; sed Pascha fiet, hoc est quale numquam factum fuerat. Remigius. Mystice enim pascha dicitur, sive quia ea die Christus transivit de mundo ad Patrem, & de corruptione ad incorruptionem, de morte ad vitam; sive quia salubri transitu à demoniaca servitute mundum redemit. Hieronymus (ubi supra.) Post duos etiam dies clarissimi luminis veteris, & novi testamenti, verum pro mundo celebratur pascha. Transitus etiam noster, idest pasche, ita celebratur, si terrena dimittentes ad caelestia festinemus. Origenes (tract. 35.) Prædicat autem discipulis se tradendum, cum subdit: *Et Filius hominis tradetur ut crucifigatur: præmuniens eos ne priusquam audiant quæ fuerant futura, subito videntes tradi magistrum ad crucem, obstupescant. Ideo autem impersonaliter posuit tradetur, quia Deus tradidit eum propter misericordiam circa genus humanum, Judas propter avaritiam, sacerdotes propter invidiam, diabolus propter timorem ne avelleretur de manu ejus genus humanum per doctrinam ipsius, non advertens, quoniam magis fuerat eripiendum genus humanum per mortem ipsius quam ereptum fuerat per doctrinam, & miracula.*

(b) *Glossa. (b) Ostendit Evangelista apparatus, & machinationem dominicæ passionis, quam Christus prænumiaverat: unde dicit: Tunc congregati sunt principes sacerdotum. Remigius. Quod autem dicit, Tunc, superioribus verbis conjungitur; idest, antequam pascha celebraretur. Origenes (tract. 35.) Non autem veni sacerdotes, & seniores, (1) sed illius qui vide-*

F 5

batur populus Dei, vere autem erat populus Gomorrhæ, non intelligentes summum sacerdotem Dei, insidiati sunt ei, & non cognoscentes primogenitum universæ creaturæ, etiam senio-rem omnibus, consiliati sunt contra eum. *Chryso- stomus* (in hom. 80.) Iniqua vero negotia tenentes ad principem sacerdotum veniunt, inde volentes potestatem accipere unde prohibere oportebat. Multi autem erant tunc principes sacerdotum; lex vero unum esse volebat: unde manifestum est quod Judaica dissolutio accipiebat principium. Moyses enim unum principem sacerdotum esse iussit, & eo mortuo alterum fieri; postea vero annui facti sunt. Eos igitur ait hic principes sacerdotum qui de principibus sacerdotum erant. *Remigius*. Condemnantur autem illi, & quia congregati sunt, & quia principes (1) sacerdotum fuerant: quo enim plures ad peragendum aliquod malum conveniunt, & quo sublimiores, & nobiliores fuerint, eo deterius habetur malum quod committitur, & eo major poena (2) illis præparatur. Ad ostendam autem Domini simplicitatem, & innocentiam, addit Evangelista: *Ut Jesum dolo tenerent, & occiderent*: in quo enim nullam mortis causam invenire poterant, consilium fecerunt ut dolo tenerent, & occiderent. *Chryso-stomus* (in hom. 80.) Consiliati sunt ergo ut tenerent eum occulte, & interimerent: formidabant autem populum, ideoque exspectabant festivitatem præterire: propter quod sequitur: *Dicebant autem, Non in die festo*. Diabolus enim volebat in pascha Christum pati, ut non manifestam ejus constitueret passionem. Principes autem sacerdotum non ea quæ Dei sunt timuerunt, ne scilicet peccato in hoc tempore peracto major ejus inquinatio fieret; sed ubique quæ humana sunt cogitabant: unde sequitur: *Ne forte tumultus fieret in populo*. *Origenes* (tract. 35.) Propter diversa studia populi, diligentis Christum, & odientis, credentis, & non credentis. *Leo* Papa (in serm. 7.) de Pass. Providentibus ergo principibus ne in sancto die tumultus oriretur, non festivitati, sed facinorosi studebant: seditiones enim turbarum fieri in præcipua solemnitate metuebant, non ut populus non peccaret, sed ne Christum evaderet. *Chryso-stomus* (in homil. 80.) Sed tamen furore ferventes immutati sunt à suo consilio: quia enim traditorem invenerunt, in ipsa festivitate Christum occiderunt. *Leo* Papa (in serm. 7.) de Pass. Divino autem intelligimus dispositum fuisse consilio ut Judæorum principes, qui sciviendi in Christum occasiones sæpe quæserant, non nisi in solemnitate paschali exercendi furoris sui ac-

ciperent potestatem. Oportebat enim ut manifesto impleretur effectus quæ diu figurata fuerant promissa mysteria, ut ovem significativam vera removeret ovis, & uno expletetur sacrificio variarum differentia victimarum. Ut ergo umbræ cederent corpori, & cessarent imagines sub præsentia veritatis, hostia in hostiam transiit, sanguine sanguis auferitur, & legalis festivitas dum mutatur impletur.

(c) *Glossa*. (a) Offenso consilio principum de Christi occisione vult exequi Evangelista completionem ejus, ostendens qualiter Judas habuit conventionem cum Judæis, ut Christum traderet; sed prius causam conditionis præmittit. Doluit enim quia non erat venundatum unguentum quod mulier super caput Christi effudit, ut de pretio aliquid tollerent: unde voluit hoc damnum prodatione magistri recompensare. Dicit ergo: *Cum autem esset Jesus in Bethania in domo Simonis leprosi*. *Hieronymus* (super illud, *Cum Jesus esset in Bethania*). Non quod leprosus illo tempore permaneret; sed quia antea leprosus, postea à Salvatore mundatus est, nomine pristino permanente, ut virtus curantis appareat.

Sequitur: *Accersit ad eum mulier habens alabastrum unguenti pretiosi*. *Rabbanus* (super *Habens alabastrum*). Est autem alabastrum genus marmoris candidi variis coloribus intincti, quod ad vasa unguentaria cavare (3) solent, eo quod optime servare ea incorrupta dicatur. *Hieronymus* (super *Accersit ad eum mulier*). Alius autem Evangelista pro alabastrum unguenti pretiosissimi pisticum posuit, hoc est verum, & absque dolo. *Rabbanus*. Pisticus enim Græce, Latine dicitur fides: unde pisticum, idest fidele. Erat enim illud unguentum fidele, idest purum, & non adulteratum.

Sequitur: *Et effudit super caput ipsius recumbentis*. *Origenes* (tract. 35.) Forsitan quis diceret quatuor fuisse mulieres de quibus scripserunt Evangelistæ; ego autem magis consentientes fuisse; & unam quidem de qua scripserunt Matthæus, & Marcus, alteram autem de qua scripsit Lucas, aliam de qua scripsit Joannes. *Hieronymus* (ubi supra). Nemo enim putet eandem esse quæ super caput unguentum, & quæ super pedes effudit: illa enim lacrymis lavit, & crine terit, & manifeste meretrix appellatur; de hac autem nihil tale scriptum est: nec enim poterat statim capite Domini meretrix digna fieri. *Ambrosius* super Lucam (cap. 7.) Potest ergo non eadem esse, ne sibi contraria dixisse Evangelistæ videantur. Potest etiam

etiam quæstio meriti, & temporis diversitate dissolvi, ut adhuc illa peccatrix sit, jam ista perfectior. *Chryso-stomus* in hom. 81. Et secundum hoc apud tres Evangelistas, scilicet Matthæum, Marcum, & Lucam, una & eadem esse videtur. Non autem absque ratione, lepræ Simonis meminit Evangelista; sed ut ostendat unde fiduciam fumens hæc mulier accessit ad Christum: quia enim lepra immunda passio esse videbatur, videns quod Jesus illum hominem curaverat apud quem manebat, confidit quod & animæ ejus immunditiam facile (1) expurgaret; & aliis mulieribus pro curatione corporis ad Christum accedentibus sola ipsa honoris gratia ad Christum accessit, & propter animæ curationem, cum nihil in corpore infirmum haberet. Quapropter maxime aliquis eandem admirari debet. Apud Joannem autem non est eadem mulier, sed altera quadam mirabilis Lazari soror. *Origenes* (tract. 35.) Quoniam Matthæus quidem, & Marcus in domo Simonis leprosi hoc factum fuisse exponunt; Joannes autem, quod venit Jesus ubi erat Lazarus; & non Simon, sed Maria, & Martha ministrabant. Adhuc, secundum Joannem, ante sex dies paschæ venit in Bethaniam, quando fecerunt ei cenam Maria, & Martha, hic autem quando recumbit in domo Simonis, post biduum pascha erat futurum. Et apud Matthæum, & Marcum, discipuli indignantur ex bono proposito; apud Joannem autem solus Judas furandi affectu; apud Lucam autem murmurat nemo. *Gregorius* in hom. (33. in Evang.) Vel dicendum, quod hanc eandem quam Lucas peccatricem mulierem, Joannes Mariam nominat. *Augustinus* de Conf. Evang. (Lib. 2. cap. 79.) Lucas autem quamvis simile factum commemorat ei quod hic dicitur, nomenque conveniat ejus apud quem convivabatur Dominus, nam & ipsum Simonem dicit; tamen, quia non est contra naturam, vel morem hominum unum nomen habere duos homines, potius credibile est fuisse illum alium Simonem, non leprosum, in cujus domo hæc in Bethania gerebantur. Nihil igitur aliud arbitror nisi quod non quidem aliam fuisse mulierem quæ peccatrix tunc accessit ad pedes Jesu, sed eandem Mariam bis hoc fecisse: semel scilicet quod Lucas narravit: nam & Joannes Mariam commendans commemoravit antequam veniret in Bethaniam: „Erat (inquit cap. 11.) languens Lazarus in Bethania de castello Mariæ, & Marthæ sororis ejus. Maria autem erat quæ unxit Dominum unguento, & extertit pedes ejus capillis

„ suis, cujus frater Lazarus infirmabatur. „ Jam itaque hoc Maria fecerat. Quod autem in Bethania rursus fecit, aliud est quod ad Lucæ narrationem non pertinet, sed pariter narratur à tribus, Joanne scilicet, Matthæo, & Marco. Quod autem Matthæus, & Marcus caput Domini unguento illo perfusum dicunt, Joannes autem pedes, ostenditur non esse contrarium, si accipiamus non solum caput, sed & pedes Domini perfudisse mulierem; nisi forte quoniam Marcus fracto alabastrum perfusum caput commemorat, tam quisque calumniosus est ut aliquid in vaso fracto neget remanere potuisse, unde etiam pedes Domini perfunderet. Ille autem qui sic calumniatur, prius accipiat perfusos pedes antequam illud fractum esset, ut in integro remaneret unde etiam caput perfunderetur, ubi fractura illa totum effunderat. *Augustinus* de Doctr. Christi. (Lib. 3. cap. 12.) Neque ullo modo quisquam fieri crediderit Domini pedes ita unguento pretioso à muliere perfusos ut luxuriosorum, & nequam hominum solent. In omnibus enim talibus non usus rerum, sed libido utentis in culpa est. Quisquis enim rebus sic utitur ut meras consuetudinis bonorum inter quos versatur excedat, aut aliquid significat, aut flagitiosus est. Itaque quod in aliis personis plerumque flagitium est, in divina, vel prophetica persona (2) magna justitiam rei signum est. *Origenes* enim bonus fama bona est, quam quisquis bonæ vitæ operibus habuerit, dum vestigia Christi sequitur, quasi pedes ejus pretiosissimo odore perfundit. *Augustinus* de Conf. Evang. (Lib. 2. cap. 78.) Sed hoc videri potest esse contrarium quod Matthæus, & Marcus posteaquam dixerunt pascha post biduum futurum, deinde commemoraverunt quod erat Jesus in Bethania, (3) ubi de unguento eadem narratur Joannes dicit cap. 12. „ Ante sex dies paschæ. „ Sed qui ita moventur, non intelligunt Matthæum, & Marcum illud quod in Bethania de unguento factum erat, recapitulando posuisse. Non enim quisquam eorum cum dixisset post biduum pascha futurum, sic adjunxit ut diceret: Post hæc cum esset Bethania. *Chryso-stomus* in hom. 81. Sed quia discipuli audierant Magistrum dicentem supra 9. *Miseriam volo, & non sacrificium*, apud se cogitabant: Si holocausta non acceperat, multo minus olei hujusmodi usum: unde sequitur: *Videntes autem discipuli indignati sunt, dicentes: Ut quid perditio hæc? Potuit enim istud venundari multo, & dari pauperibus*. *Hieronymus* (super *Videntes autem discipuli*). Scio quod-

(1) Al. & sacerdotes. (2) Al. illius. (3) Al. solebant. Ex edit. P. Nicol. (a) Quod subjungitur ex Glossa, nec in Glossa occurrit, nec alibi.

(1) Al. expurgavit. (2) Al. magnum. (3) Al. ubi de unguento illo pretioso dicitur; Joannes autem ante sex dies paschæ de unguento eadem narratur. P. Nicolai ponit narrat.

quosdam hunc locum calumniari, quare Joannes Judam solum dixerit contristatum, eo quod oculos tenuerit, & fur ab initio fuerit, & Matthæus scribat omnes discipulos indignatos, nescientes tropum qui vocatur (1) *syllapsis*, (2) quo & pro multis unus, & pro uno multi soleant appellari: nam & Paulus in epistola ad Hebræos cap. 11. dicit, „ Secti sunt, “ cum unum tantummodo, scilicet Esaiam, sectum autem. *Augustinus* de Conf. Evang. (Lib. 2. cap. 79.) Potest etiam intelligi, quod & alii discipuli aut senserunt hoc, aut dixerunt, aut eis Juda dicente persuasum sit, atque omnium voluntatem Matthæus, & Marcus etiam expresserint; sed Judas propterea dixerat, quia fur erat, ceteri vero propter pauperum curam: Joannes autem de solo illo id commemorare voluit cujus ex hac occasione furandi consuetudinem credidit (3) intinendam. *Chrysostomus* in hom. 81. Discipuli ergo ita existimabant; sed Dominus mentem mulieris videns permittit: multa enim erat ejus religio, & ineffabile studium: idcirco condescendens concessit super caput suum unguentum effundi. Sicut enim Pater ejus odorem victimæ, & fumum patiebatur; ita & Christus mulierem devote ungentem, cujus discipuli mentem nesciebant, quærelam facientes: unde sequitur: *Sciens autem Jesus ait illis: Quid molesti estis huic mulieri? Remigius.* Per quod aperte ostendit quod Apostoli aliquid moleste locuti fuerant adversus eam. Pulchre autem subdit: *Opus bonum operata est in me; ac si dicat: Non est perditio unguenti, sicut vos dicitis, sed opus bonum, idest pietatis, & devotionis obsequium.* *Chrysostomus* hom. 80. Ideo autem non simpliciter dixit, *Bonum opus operata est in me;* sed prius posuit, *Quid molesti estis huic mulieri? erudiens nos quodcumque geritur bonum à quocumque, etsi non valde diligenter factum fuerit, suscipere, & augere, & fovere, & non ex principio omnem diligentiam exspectare.* Quilibet enim eum interrogasset antequam fecisset hoc mulier, non mandasset hoc fieri; sed post effusum unguentum non habebat locum discipulorum increpatio; & ideo ipse, ut non obtunderet desiderium mulieris, omnia hæc in consolationem mulieris dixit.

Sequitur: *Nam pauperes semper habetis vobiscum.* *Remigius.* Ostendit enim Dominus his verbis quasi ex quadam ratione, quoniam non erant illi culpandi qui sibi adhuc in mortali corpore conversant aliquid de suis facultatibus ministrarent: cum pauperes semper habendi essent in Ecclesia, quibus fideles cum vellent benefacere possent, ipse vero brevi tempore

corporaliter mansurus erat cum eis: unde sequitur: *Me autem non semper habetis.* *Hieronymus* (super *Sciens autem Jesus ait illis*). Oritur autem hic quæstio, quare Dominus post resurrectionem dixerit ad discipulos infra 28. *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem mundi:* & nunc loquitur: *Me autem non semper habetis.* Sed mihi videtur in hoc loco de præsentia dicere corporali, quod nequaquam cum eis ita futurus sit post resurrectionem quomodo nunc in omni convicito, & familiaritate. *Remigius.* Vel solvitur ita ut intelligatur quod soli Judæ dictum sit; sed ideo non dixit, *Habetis, sed habebitis,* quia in persona Judæ omnibus imitatoribus illius dictum est. Ideo autem dicit, *Non semper,* cum nec ad tempus habeant: quia mali videntur habere Christum in præsentis sæculi quando miscenle membris Christi, & accedunt ad mensam ejus; sed non semper sic habebunt, quando solis electis dicturus est: *Venite benedicti Patris mei:* supra 25.

Sequitur: *Mittens enim hæc unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit.* Consuetudo erat illius populi ut corpora mortuorum diversis aromatibus condirentur, quatenus diutius illæsa conservarentur. Et quia futurum erat ut hæc mulier corpus Domini mortuum vellet perungere, & tamen non posset, quia resurrectione anticiparetur; idcirco divina providentia actum est ut vivum Domini corpus perungeret. Hoc est ergo quod dicit, *Mittens hæc;* idest, cum hæc mulier corpus meum vivum perungit, me moriturum, & sepeliendum ostendit. *Chrysostomus* in hom. (81. in Matth.) Quia ergo sepulcrum, & mortem commemoraverat, ut non videatur in tristitiam mittere mulierem, rursus eam consolatur per ea quæ consequuntur: *Amen dico vobis: ubicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur & quod hæc fecit in memoriam ejus.* *Rabbanus* (hoc loco.) Idest, in quocumque loco dilatatur Ecclesia per totum mundum; dicetur & quod hoc fecit. Illud & appositum nota, quod sicut Judas contradicens adeptus est perfidiæ infamiam, sic & ista pia devotionis gloriam. *Hieronymus* (super *Amen dico vobis*). Attende notitiam futurorum, quod passurus post biduum, & moriturus, sciat Evangelium suum in toto orbe celebrandum. *Chrysostomus* in hom. 81. Ecce autem quod dixit, factum est; & ubicumque terrarum abieris, videbis hanc mulierem famosam effectam; quod virtus prædicantis effecit. Et Regum quidem multorum, & ducum victoriæ silentur, & multi qui civitates construxerunt, & gentes multas servituti subegerunt, neque ex auditu, neque

que ex nomine sunt cogniti: quoniam autem hæc mulier oleum effudit in domo leprosi cuiusdam duodecim viris præsentibus, hoc omnes concinunt per orbem terrarum; & tempus tantum pertransit, & memoria ejus quod factum est non est tabefacta. Sed quare nihil speciale promisit mulieri, sed sempiternam memoriam? Quia ex his quæ dixit intelligi potuit: si enim opus bonum fecit, manifestum est quod & mercedem dignam suscipiet. *Hieronymus* (super *Cum Jesus esset in Bethania*). Mystice autem passurus pro omni mundo (1) moratur in Bethania in domo obedientiæ, quæ quondam fuit Simonis leprosi. Simon quoque ipse obediens dicitur, qui juxta aliam intelligentiam mundus interpretari potest, in cuius domo curata est Ecclesia. *Origenes* (tract. 35. in Matth.) Oleum autem ubique in Scripturis aut opus misericordiæ intelligitur, quo lucerna verbi (2) emutita clarescit; aut doctrina, cujus auditu verbum fidei quod est accensum rursuritur. Generaliter ergo omne quo quis ungitur, oleum appellatur; olei autem aliud est unguentum; item unguenti aliud est pretiosum: sic omnis actus justus opus bonum dicitur; operis autem boni aliud est quod facimus propter homines, vel secundum homines, aliud quod propter Deum, & secundum Deum. Item hoc ipsum quod facimus propter Deum, aliud proficit ad usum hominum, aliud tantum ad gloriam Dei; ut puta aliquis benefacit homini naturali justitia motus, non propter Deum, quomodo faciebant interdum & Gentes: opus illud oleum est vulgare, non magni odoris, & ipsum tamen acceptabile apud Deum, quoniam, ut dicit Petrus apud Clementem, opera bona quæ fiunt ab infidelibus in hoc sæculo eis profunt, non in alio ad consequendum vitam æternam. Qui autem propter Deum faciunt, magis illis in illo sæculo proficit; hoc est unguentum boni odoris. Sed aliud fit ad utilitatem hominum, ut puta elemosyna, & cetera hujusmodi. Hoc qui facit in Christianos, pedes Domini ungit: quia ipsi sunt Domini pedes: quod præcipue solent facere penitentes pro remissione peccatorum suorum. Qui autem castitati studet, & in jejuniis, & in orationibus permanet, & ceteris quæ tantum ad gloriam Dei proficiunt; hoc est unguentum quod ungit Domini caput, & hoc est unguentum pretiosum, ex cuius odore tota repletur Ecclesia; & hoc est opus proprium non penitentium, sed perfectorum: aut doctrina, quæ necessaria est hominibus, hoc est unguentum quo pedes Domini unguuntur; agnitio autem fidei, quæ ad Iolum pertinet

S. Thom. Oper. Tom. VIII.

(1) *Al.* moritur. (2) *Al.* emutiti. (3) *Al.* reddit. (4) *Al.* invitatus.

EX EDIT. P. NICOL. (2) Quod subjungitur ex Glossa, nec in Glossa occurrit, nec alibi.

Deum, est unguentum quo ungitur caput Christi, quo conspelimur Christo per baptismum in mortem. *Hilarius* (can. 29. in Matth.) Mulier autem hæc in præfiguratione plebis Gentium est, quæ in passione Christi gloriam Deo (3) reddidit: caput enim perunxit; caput autem Christi Deus est, nam unguentum, boni operis est fructus. Sed discipuli favore salvandi Israelis vendi hoc in usum pauperum dicunt habuisse; pauperes autem Judæos fide indigentes, instinctu prophetico nuncupant, quibus Dominus ait plurimum esse temporis quo habere curam pauperum possent. Ceterum non nisi ex præcepto suo salutem Gentibus posse præstari, quæ secum, infuso mulieris hujus unguento, sunt conspultæ, quia regeneratio non nisi cum mortuis in baptismi professione reddetur; & idcirco ubi prædicabitur hoc Evangelium, narrabitur opus ejus: quia cessante Israel, Evangelii gloria fide Gentium prædicatur.

(d) *Glossa.* (a) Posita occasione prodicionis, consequenter de prodicione Judæ agit Evangelista: unde dicit: *Tunc abiit unus de duodecim.* *Chrysostomus* in hom. 81. Tunc scilicet quando hoc audivit quoniam prædicabitur hoc Evangelium ubique: timuit enim: nam virtutis ineffabilis erat quod dictum est. *Augustinus* de Conf. Evang. (Lib. 2. cap. 80.) Ita enim sermo dirigitur dicente Domino: *Scitis quia post biduum pascha fiet... tunc congregati sunt principes sacerdotum... tunc abiit unus de duodecim.* Inter illud enim quod dictum est, *Ne tumultus fieret in populo,* & hoc quod dicitur: *Tunc abiit unus de duodecim,* interpositum est illud de Bethania, quod recapitulando dictum est, *Origenes* (tract. 35.) Abiit autem adversus unum principem sacerdotum, qui factus fuerat sacerdos in æternum, ad multos principes sacerdotum, ut venderet pretio volentem redimere totum mundum. *Rabbanus* (hoc loco.) Abiit autem dicit, quia non coactus, non (4) invitatus; sed sponte sceleratum inlit consilium. *Chrysostomus* in hom. (81. in Matth.) Addit autem, *Unus de duodecim,* ac si diceret, de primo choro eorum qui sublimiter electi sunt: & ad designationem ejus adjungit: *Qui dicitur Judas Scarioth:* erat enim & alius Judas. *Remigius.* Scarioth namque fuit villa, unde ortus esse iste Judas. *Leo* Papa in serm. 9. de Pass. Qui non timoris perturbatione Christum deseruit, sed pecuniæ cupiditate distrahit: amore enim pecuniæ vilis est omnis affectio, & anima lucti cupida, etiam pro exiguo perire non metuit; nullumque est iustitiæ in illo corde vestigium in quo sibi avaritia

G 5

ria

(1) *Al.* Synecdoche. (2) *Al.* omittitur quo. (3) *Al.* imitandam.

ria facit habitaculum. Hoc perfidus Judas inebriatus veneno, dum fuit lucrum, ita stulte impius fuit ut Dominum venderet, & Magistrum: unde dixit principibus sacerdotum: *Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam?* Hieronymus (super *Quid vultis mihi dari.*) Infelix Judas damnium quod ex effusione unguenti se fecisse crederet, vult Magistri pretio compensare: nec certam tamen postulat summam, ut saltem lucrosa videretur proditio; sed quasi vile tradens mancipium, in potestate ementium posuit quantum vellent dare. Origenes (tract. 35.) Hoc autem faciunt omnes qui accipiunt aliquid corporalium, aut mundanialium rerum ut tradant, & ejiciant ab anima sua Salvatorem, & verbum veritatis, quod erat in eis. Sequitur: *At illi constituerunt ei triginta argenteos: tantam mercedem constituentes, quantos annos Salvator conversatus fuerat in hoc mundo.* Hieronymus (super *Constituerunt ei triginta argenteos.*) Joseph autem, non, ut multi putant juxta septuaginta Interpretes, triginta aureis venditus est; sed juxta Hebraicam veritatem, triginta argenteis: neque enim poterat servus pretiosior esse quam Dominus. Augustinus de Quæst. Evang. (Lib. 1. cap. 51.) Quod autem Dominus triginta (1) argenteis venditus est, significavit per Judam Judæos, iniquosque, qui persequentes carnalia, & temporalia, quæ ad quinque pertinent sensus corporis, Christum habere noluerunt; & quia sexta mundi ætate fecerunt, sexies quinque eos quasi pretium venditi Domini accepisse signatum est; & quia eloquium Domini argentum est, illi autem ipsam legem etiam carnaliter intellexerunt, tamquam in argento impresserat secularis principatus imaginem, quam amisso Domino tenuerunt.

Sequitur: *Et exinde quærebat opportunitatem ut eum traderet.* Origenes (tract. 35.) Qualem autem opportunitatem quærebat Judas, Lucas manifestius explanat dicens cap. 22. „Et quærebat opportunitatem ut traderet eum, sine turba;“ id est, quando populus non erat circa eum, sed secretus erat cum discipulis; quod & fecit, tradens eum post cenam, cum secretus esset in prædio Gethsemani: & inde usque nunc opportunitas ista videtur his qui volunt prode Deo verbum in tempore perfectionis, quando multitudo credentium non est circa verbum veritatis.

(c) Glossa. (a) Prosecutus fuerat Evangelista de his quæ erant præambula ad Christi passionem, scilicet de prænnuntiatione passionis,

(1) *Al. deest argenteis.* (2) *Al. tanto.*

Ex edit. P. NICOL. (a) Nec in Glossa quæ nunc extat, nec in Anselmo est, ut nec apud alium interpretem occurrit.

de consilio autem, & de tractatu proditionis nunc autem tempus, & seriem passionis incipit prosequi, dicens, *Prima autem die azymorum.* Hieronymus (super *Prima die.*) Prima dies azymorum quartadecima dies mensis primi est, quando agnus immolatur, & luna plenissima est, & fermentum abjicitur. Remigius. Et notandum, quod apud Judæos primo die pascha celebratur, reliqui vero septem sequentes dies azymorum vocabantur; sed hunc dies azymorum dicitur pro die paschæ. Chrysostomus in hom. 81. Vel hanc primam diem azymorum dicit, quia septem dies azymorum erant: assueverunt enim Judæi à vespera semper numerare diem: unde hujus diei facit mentionem, secundum quam in vespera pascha erat immolandum, quod quinta feria fuit. Remigius. Sed forte dicit aliquis: Si ille typicus agnus figurati hujus veri agni gestabat, quare non ea nocte passus est Christus quando solebat agnus immolari? Sed sciendum, quia eadem nocte mysteria sanguinis, & corporis sui discipulis celebranda tradidit; & sic tentus, & ligatus à Judæis, fuit immolationis, id est passionis, sacravit exordium. Sequitur: *Accesserunt ad Jesum discipuli dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere pascha.* Inter eos autem discipulos qui accesserunt ad Jesum interrogantes, & Judam fuisse ætium proditorem. Chrysostomus in hom. 82. Et hoc autem manifestum est quoniam non erat ei domus, neque tugurium; ego autem ætium neque discipulos habuisse: profecto enim eum illic rogassent venire.

Sequitur: *At Jesus dixit: Ite in civitatem ad quemdam.* Augustinus de Conf. Evang. (Lib. 2. cap. 80.) Eum scilicet quem Marcus, & Lucas dicunt patremfamilias, vel dominum domus. Quod ergo interposuit Matthæus, *Ad quemdam*, tamquam ex persona sua studio brevitate illud compendio voluit insinuare: nam neminem sic loqui ut dicat, *Ite ad quemdam*, quis nesciat? Ac per hoc cum Matthæus verba Domini posuisset dicentis, *Ite in civitatem*, interposuit ipse, *Ad quemdam*: non quia ipse Dominus hoc dixerit, sed ut ipse nobis insinuaret (2) tacito nomine, fuisse quemdam in civitate ad quem Domini discipuli mittebantur, ut præpararent pascha: manifestum est enim discipulos à Domino non ad quemlibet, sed ad quemdam hominem, id est ad certum aliquem missos esse. Chrysostomus in hom. 82. Vel dicendum, quod per hoc quod dicit, *Ad quemdam*, ostendit quod ad ignotum hominem mitte-

tit, monstrans hinc quoniam poterat non pati. Qui enim utenti hujus persuasit ut eos suscipere, quid non utique operatus esset in his qui eum crucifigebant, si tamen voluisset non pati? Ego autem non hoc admittor solum quoniam eum susceperit, ignotus existens, sed quoniam suscipiendo Christum, multorum odium contempsit. Hilarius (can. 30.) Vel ideo hominem cum quo pascha celebraturus esset non nominat, (1) nondum enim Christiani nominis honor creditibus erat præstitus. Rabbanus (super *Ite in civitatem.*) Vel nomen præmittit, ut omnibus verum pascha celebrare volentibus, Christumque hospitio suæ mentis suscipere, danda facultas designetur. Hieronymus (ibid.) In hoc etiam morem veteris testamenti nova Scriptura conservat: frequenter enim legimus: Dixit ille illi, & in loco illo, & illo; & tamen nomen personarum, locorumque non ponitur.

Sequitur: *Et dicit ei: Magister dicit: Tempus meum prope est.* Chrysostomus in hom. 82. Hoc autem dixit discipulis, passionem commemorans, ut ex multiplici passionis enuntiatione exercitati meditentur quod futurum erat; simul autem demonstrans quod volens ad passionem venire. Sequitur: *Apud te facio pascha: in quo demonstrat quoniam usque ad ultimum diem non erat contrarius legi. Addidit autem, Cum discipulis meis, ut sufficiens fieret preparatio, & ut ille ad quem mittebat non existimaret eum occultari velle.*

Sequitur: *Et fecerunt discipuli sicut constituit illis Jesus, & paraverunt pascha.* Origenes (tract. 35.) Forsitan autem aliquis requiret, ex eo quod Jesus celebravit more Judaico pascha, quia convenit & nos imitatores Christi similiter facere, non considerans quod Jesus factus est sub lege, non ut eos qui sub lege erant, sub lege reliqueret, sed ut ex lege educeret: quanto ergo magis non convenit illos introire in legem, qui prius fuerant extra legem? Sed spiritualiter celebrantes, quæ in lege corporaliter celebranda mandantur, ut in azymis sinceritatis, & veritatis celebremus pascha, secundum voluntatem agni dicentis Joan. 6. „Nisi manducaveritis carnem meam, & biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis.“

(f) Hieronymus (super *Amen dico vobis.*) Quia supra Dominus de passione sua prædixerat, nunc etiam de proditore prædicit, dans ei pœ-

nitentiæ locum, ut cum intelligeret sciri cogitationes suas, & occulta cordis consilia, poeniteret eum facti sui: unde dicitur: *Vespere autem facto discubebat cum duodecim discipulis suis Remigius.* Cum duodecim dicit, quia Judas adhuc erat in numero, qui jam recesserat merito. Hieronymus. Omnia enim sic agit Judas ut tollatur suspicio proditoris. Remigius. Et notandum, quia pulchre vespere facto discubuisse dicitur, quoniam ad vespere agnus immolari solebat. Rabbanus. Ideo etiam vespere discubuit cum discipulis, quia in passione Christi, quando verus sol ad occasum properavit, refectio æterna omnibus fidelibus preparata fuit. Chrysostomus in hom. 82. Designat autem Evangelista quod comedentibus illis disputat Jesus de traditione Judæ, ut & à tempore, à mensa ostendat malitiam proditoris; & ideo sequitur: *Et edentibus illis, dixit: Amen dico vobis, quia unus vestrum me traditurus est.* Leo Papa in serm. 7. de Pass. In quo notam sibi esse proditoris sui conscientiam demonstravit, non aspera, ac aperta impium increpatione confundens, sed levis, & tacita admonitione conveniens, ut facilitus corrigeret (2) poenitudo quem nulla deformasset abjectio. Origenes (tract. 35.) Vel dixit generaliter, ut testimonio percussis cordis lingulorum qualitas probaretur, & ut Judæ ostenderet malitiam, qui nec cognitorum consiliorum suorum credebat; (3) esto quia in primis putavit latere quasi hominem; qui postquam vidit conscientiam suam positam in verbis ipsius, quorum primum infidelitatis erat, secundum impudentiæ: & ut etiam discipulorum ostenderet bonitatem, quia plus credebant verbis Christi quam conscientie suæ: unde sequitur: *Et contristati valde cœperunt singuli dicere: Numquid ego sum, Domine? Unusquisque enim discipulorum sciebat ex his quæ docuerat Jesus, quoniam ad malum vertibilis est humana natura, & in collocatione adversus rectores hujus mundi tenebrarum; & propter hanc causam unusquisque eorum timens interrogavit: unde & de omnibus futuris timendum est nobis infirmis. Videns autem Dominus de seipsis timentes discipulos, demonstravit proditorem inditio prophetice vocis dicentis Psalm. 40. „Qui manducavit panem mecum, ampliavit adversum me supplantationem:“ unde sequitur: *At ipse respondens ait: Qui intingit mecum manum in paroside, hic me tradet.* Hieronymus (super *Qui intingit mecum manum.*) O mitta Domini patientia!*

(1) *Al. non enim Christianus honor creditibus erat præstitus.* (2) *Al. poenitendo.* (3) *Sensum sic implet P. Nicolai: puto quia in primis putavit latere quasi hominem; qui postquam vidit conscientiam suam notam Christo, amplexus est occultationem positam in verbis ipsius &c. Forte legendum qui postea vidit, pro qui postquam vidit, sensus constabit.*

35.) Non autem dixit: *Vae homini illi* a quo traditur, sed *per quem traditur*, ostendens alterum a quo tradebatur, id est a diabolo; ipsum autem Judam ministrum esse traditionis. Vae autem omnibus traditoribus Christi: quicumque enim discipulos Christi tradit, ipsum Christum tradit. *Remigius*. (4) Vae etiam erit omnibus qui maligna conscientia, & polluta ad mensam Christi accedunt: quamvis enim Christum non tradant Judæis crucifigendum, tradunt tamen suis iniquis membris sumendum: & ad majorem exaggerationem subdit: *Bonum erat illi si natus non fuisset homo ille*. *Hieronymus* (super *Bonum erat ei si natus non fuisset*) Non autem ideo purandus est ante fuisse quam nasceretur: quia nulli possit esse bene, nisi ei qui fuerit; sed simpliciter dictum est multo melius esse non subsistere quam male subsistere. *Augustinus* de *Quest. Evang.* (Lib. 1. cap. 40.) Et si quispian contendit aliquam vitam, esse ante istam, non Judæ tantum ut non nasceretur, sed nulli expedire convincitur. An diabolo dicit non expedire nasci, scilicet ad peccatum? An etiam bonum erat illi ut Christo non nasceretur, sed nulli expedire convincitur. An diabolo dicit non expedire nasci, scilicet ad peccatum? An etiam bonum erat illi ut Christo non nasceretur, sed nulli expedire convincitur. An diabolo dicit non expedire nasci, scilicet ad peccatum? An etiam bonum erat illi ut Christo non nasceretur, sed nulli expedire convincitur.

35.) Judas autem post omnium Apostolorum interrogaciones, & post Christi narrationem de ipso, vix aliquando & ipse interrogavit versuto consilio, ut similia ceteris interrogando, celaret prodicionis consilium: nam vera tristitia non sustinet moram: unde sequitur: *Respondens autem Judas, qui tradidit eum, dixit: Numquid ego sum, Rabbi?* *Hieronymus* (super hoc verbo.) In quo blandientis fingit affectum, sive incredulitatis signum. Ceteri enim, qui non erant proditori, dicunt, *Numquid ego sum, Domine?* Ille qui proditurus erat, non Dominum, sed Magistrum vocat; quasi exultationem habeat, si Domino denegato, saltem Magistrum prodiderit. *Origenes* (tract. 35.) Vel hoc ipsum quasi subsannans dicit, quia vocabatur Magister, cum non esset hoc vocabulo dignus. *Chrysostromus* in hom. 82. Quamvis autem Dominus poterat dixisse: *Argentum esse pactus accipere, & adhuc aures interrogare?* sed nihil horum dixit mitissimus Jesus, nobis terminos, & regulas præfigens: sequitur enim: *Et ait illi, Tu dixisti.* *Remigius*. Quod sic potest intelligi. Tu dicis, & verum dicis; sive tu dixisti, & non ego: ut adhuc ei locus poenitentiae concederetur, dum non apertius ejus perveritas manifestatur. *Rabbanus* (super *Numquid ego sum, Rabbi?*) (5) Potuit

(1) *Al.* apertam. (2) *Legit P. Nicolai:* Si autem & post spirituales mensam abundantius videbis multitudinem malitiae ejus qua tradidit magistrum non recordatus &c: (3) *Al.* & urinan etiam. (4) *Al.* Vel etiam. (5) *Al.* Ponit.

tuit hoc etiam sic dici a Juda, & a Domino responderi, ut non omnes adverterent quod dictum erat.

(g) *Hieronymus* (super *Canantibus autem eis*). Postquam typicum pascha fuerat impletum, & agni carnes cum Apostolis comederat, ad verum paschæ transgreditur sacramentum, ut (1) quomodo omni præfiguratione ejus Melchisedech summi Dei sacerdos, panem, & vinum offerens fecerat, ipse quoque in veritate sui corporis & sanguinis representaret: unde dicitur: *Canantibus autem illis, Augustinus* ad *Jannarium* (epist. 118.) In quo liquido appareret, quando primo acceperunt discipuli corpus, & sanguinem Domini, non eos accepisse jejunos. Numquid tamen propterea calumniandus est ritus universæ Ecclesie, quod a jejunis semper accipitur? Placuit enim Spiritui Sancto ut in honorem tanti sacramenti in os Christiani prius dominicum corpus intraret quam ceteri sibi. Salvator namque quo vehementius commendaret mysterii hujus altitudinem, ultimum (2) hoc voluit ingerere cordibus, & memoriae discipulorum, a quibus ad passionem digressurus erat; & ideo non præcepit quo deinceps ordine sumeretur, ut Apostolis, per quos Ecclesiam dispositurus erat, salvaret hunc locum. *Glossa*. (a) Sub alia tamen specie carnem & sanguinem suum tradidit Christus, & deinceps sumendum instituit, (b) ut fides haberet meritum, quæ de his est quæ non videntur. *Ambrosius* de *Sacramentis* (Lib. 4. cap. 4.) Et ut nullus horror cruoris sit, & pretium tamen operetur redemptionis. *Augustinus* super *Joan.* (tract. 26.) Commendavit autem Dominus corpus, & sanguinem suum in eis rebus quæ ad unum aliquid rediguntur ex multis. Panis namque in unum ex multis granis conficitur, vinum vero in unum ex multis acinis conficitur: ita Dominus Jesus Christus nos signavit, & mysterium pacis ac unitatis nostræ in sua mensa consecravit. *Remigius*. Aptè etiam fructum terræ obtulit, ut per hoc demonstraret quia ad hoc venerat ut illam maledictionem auferret quæ maledicta est terra propter peccatum primi hominis. Congruenter etiam jusit offerri quæ de terra nascuntur, & pro quibus homines maxime laborant, ut non esset difficultas in acquiendo, & homines de labore manuum suarum sacrificium Deo offerrent. *Ambrosius* de *Sacramentis* (Lib. 4. cap. 3.)

S. Thom. Op. Tom. VIII.

(1) *Al.* quando. (2) *Al.* in hoc.

Ex edit. P. Nicol. (a) Quod subjungitur ex Glossa, non occurrit. (b) Usurpatum ex Gregorio in hom. 20. super Evangel. (c) Nec in Glossa quæ nunc est, nec in Anselmo extat, nec alibi occurrit. (d) In Gregorio non occurrit, nec Leo IX. Papa, vel Humbertus Episcopus Sylvæ candidæ, qui contra Græcos hæc ex professo tractant, quiddam referunt Tom. 4. Biblioth. Patrum. (e) Vel Paschasius de Corpore, & sanguine Domini.

Ex hoc autem accipe anteriora esse mysteria Christianorum quam Judæorum. Obtulit enim Melchisedech panem & vinum, similis per omnia Filio Dei, cui dicitur *Palm.* 109. Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech: de quo & hic dicitur: *Accipit Jesus panem. Glossa*. (c) Quod de pane frumenti intelligi debet: grano enim frumenti se comparavit Dominus dicens, *Joan.* 12. Nisi granum frumenti cadens in terram &c. Talis etiam panis competit sacramento, quia ejus usus est communior: nam alii panes propter ejus defectum sunt. Quia vero Christus usque ad ultimum diem demonstravit se non esse contrarium legi, ut supra ex verbis Chrysostromi habitum est, in vespera vero quando pascha immolabatur secundum legis præceptum azyma comedendum erat, & omne fermentatum abjiciendum; manifestum est quod panis iste quem Dominus accepit ut discipulis traderet, azymus fuit. *Gregorius* in *Registro*. (d) Solet autem nonnullos movere quod in Ecclesia alii offerunt panes azymos, alii fermentatos. Ecclesia namque Romana offert azymos panes, propterea quod Dominus sine ulla commixtione suscepit carnem; alia vero Ecclesie offerunt fermentatum pro eo quod Verbum Patris inditum est carne, & est verus Deus, & verus homo: nam & fermentum commiscetur farinæ; sed tamen tam azymum, quam fermentatum dum sumimus, unum corpus Domini nostri Salvatoris efficiunt. *Ambrosius* de *Sacramentis* (Lib. 4. cap. 4.) Ille autem panis ante verba sacramentorum, panis est usitatus; ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi. Consecratio autem quibus verbis est, & quibus sermonibus, nisi Domini Jesu? Si enim tanta vis est in ejus sermone ut inciperent esse quæ non erant; quanto magis operatorius est ut sint quæ erant, & in aliud commutentur? Si enim operatus est sermo cælestis in aliis rebus, non operatur in cælestibus sacramentis? Ergo ex pane corpus fit Christi, & vinum fit sanguis consecratione verbi cælestis. Modum requiris? Accipe. Consecratio est ut non generetur homo nisi ex viro & muliere; sed quia voluit Dominus, de Spiritu Sancto, & Virgine natus est Christus. *Augustinus* de *Verb. Dom.* (e) Sicut ergo per Spiritum Sanctum vera caro sine coitu creatur, ita & per eundem substantia panis & vini, id est

H 5 cor.

corpus Christi & sanguis consecratur; & ideo quia verbo Domini fit prædicta consecratio, subditur: *Benedixit. Remigius.* Per hoc etiam monstravit quia humanam naturam, una cum Patre, & Spiritu Sancto, gratia divinæ virtutis implevit, & æternæ immortalitatis munere ditavit. Sed ut monstraret quia corpus ejus non absque sua voluntate subiectum erat passioni, subditur, *Ac fregit. Augustinus* in lib. Sent. Prof. peri. (1) (a) Cum enim frangitur hostia, dum sanguis de calice in ora fidelium funditur, quid aliud quam dominici corporis immolatio in cruce, ejusque sanguinis effusio de latere designatur? *Dionysius* in Becl. Hierarc. (cap. 3. versus fin.) In hoc etiam offenditur quod unum, & simplex Dei Verbum per humanationem compositum, & visibile ad nos pervenit, & ad se nostram societatem benigne peragens, spiritualium bonorum distributorum nos participes fecit: unde sequitur: *Ambrosius* de Sacramentis (Lib. 4. cap. 5.) Ante enim quam consecratur, panis est; ubi autem verba Christi accesserint dicitur: *Hoc est Corpus meum, Corpus Christi est.*

(h) *Remigius.* Quia corpus suum sub specie panis Dominus discipulis dedit, pulchre etiam calicem sui sanguinis tradidit eisdem: unde dicitur: *Et accipiens calicem, gratias egit:* in quo demonstrat quantum de nostra salute gratuletur, pro quibus etiam sanguinem suum funderet. *Chrysostratus* (in hom. 83. in Matth.) Ideo etiam gratias egit ut nos doceret qualiter oporteret nos hoc mysterium perficere; & etiam monstravit quoniam ad passionem non venit nolens. Erudit enim nos quodcumque patimur cum gratiarum actione ferre, & etiam ex hoc bonam spem nobis dedit. Si enim figura hujus sacrificii, scilicet immolatio agni paschalis, facta est liberatio populi ab Ægyptiaca servitute; multo magis veritas liberabit orbem terrarum. Sequitur: *Et dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes.* Ne autem hæc audientes turbarentur, primum ipse sanguinem suum bibit, inducens eos sine turbatione ad communionem mysteriorum. *Hieronymus* contra Helvidium. Sic igitur Dominus Jesus fuit conviva, & convivium, ipse comedens, & qui comeditur.

Sequitur: *Hic est sanguis meus novi testamen-*

(1) *Edictio Veneta Nicolini an. 1593. ad marginem habet* Gratianus de Conf. dist. 2. cap. „ Cum frangitur. (2) *In eadem ad marginem est.* Beda in cap. 10. 1. ad Corinth. citat hunc locum ex ser. quopiam de Verb. Evang.

EX EDIT. P. NICOL. (a) Quod velut ex Lib. Sent. Properi sequitur, referturque sic in eadem dist. 2. de Consecr. cap. Cum frangitur, ac ab Algero lib. 1. cap. 19. habetur in Lanfranco sine indice, nec in Properi sententiis occurrit. (b) Ut ex quodam sermone de Verbis Evang. refertur in Decret. cap. Invitat quoad priorem appendicem; quoad posteriorem vero ab illis verbis: *Et quidem in Sacramento sic fit,* ut ex ferm. 2. de Verbis Apostoli cum præmissis aliis promiscue notatur cap. Qui manducant; sed apud Bedam 1. ad Cor. 10. ut ex ferm. ad Infantes,

ti. *Chrysostratus* (in hom. 83.) Hoc est annuntiationis legis novæ: hoc enim promittebat vetus testamentum quod continet novum; sicut enim vetus testamentum habuit sanguinem vitulorum, & ovium, ita novum habet sanguinem dominicum. *Remigius.* Sic enim legitur Exod. 24. (1) quia accepit Moyses sanguinem agni, & misit in craterem, & intinxit fasciculo hyssopi aspersit populum, dicens: „ Hic est sanguis testamenti „ quod mandavit ad vos Deus. „ *Chrysostratus* (in hom. 83.) Sanguinem autem nominans, & passionem suam prænuntiat, dicens: *Qui pro multis effundetur.* Et rursus dicit mortis causam, cum subdit: *In remissionem peccatorum;* quasi dicat: Sanguis agni in Ægypto effusus est pro salute primogenitorum populi Israelis, hic autem in remissionem peccatorum. *Remigius.* Et notandum, quia non ait, Pro paucis, aut pro omnibus; sed pro multis: quia non venerat unam tantum gentem redimere, sed multos de omnibus gentibus. *Chrysostratus* (in hom. 83.) Hoc autem dicens ostendit quod passio ejus mysterium est salutis humanæ, per quod etiam discipulos consolatur. Et sicut Moyses ait Exod. 12. „ Hoc „ erit vobis memoriale sempiternum; „ ita & ipse dixit, ut Lucas refert cap. 22. „ Hoc facite „ te in meam commemorationem. „ *Remigius.* Non solum autem panem, sed etiam vinum offerendum docuit, ut esurientes, & sitientes justitiam his mysteriis doceret esse recreandos. *Glossa.* (a) Sicut enim corporalis resectio fit per cibum & potum; ita sub specie cibi & potus nobis spirituales resectionem Dominus præparavit. Conveniens etiam fuit ad signandum dominicam passionem ut sub duplici specie hoc sacramentum institueretur. In passione enim sanguinem suum effudit, & sic sanguis ejus fuit à corpore separatus. Oportuit ergo ad dominicam passionem representandam, seorsum proponi panem & vinum, quæ sunt corporis & sanguinis sacramentum. Sciendum tamen est, quod sub utraque specie totus Christus continetur: sub specie quidem panis simul sanguis cum corpore, & sub specie vini simul corpus cum sanguine. *Ambrosius* in Epist. ad Corinth. (b) Ideo etiam in duabus speciebus celebratur: valet enim ad tuitionem corporis, & animæ quod percipimus. *Cyprianus* ad Cæcilium (epist. 3. lib. 2.) Calix vero Domini non est aqua sola, & vinum solum, nisi utrumque misceretur; quomodo nec corpus Domini potest esse farina sola, aut aqua sola,

(1) *Al. sicut.*

EX EDIT. P. NICOL. (a) Quod subiungitur ex Glossa, nec in Glossa est quæ nunc extat, nec alibi occurrit. (b) Immo sub Ambrosii nomine alter Auctor qui & in Glossa passim Ambrosianus appellatur, quasi suppositivus Ambrosius, & fuisse creditur Hilarius Romanus Diaconus Luciferiani Schismatis propagator.

nisi utrumque fuerit adunatum. *Ambrosius* de Sacramentis (Lib. 3. cap. 1.) Si autem Melchisedech panem & vinum obtulit, quid sibi vult aquæ mixtio? Accipe rationem. Tetigit Moyses petram, & petra undam maximam fudit; petra autem erat Christus, & unus de militibus lancea tetigit latus Christi, & de latere ejus aqua fluxit, & sanguis; aqua ut mundaret, sanguis ut redimeret. *Remigius.* Sciendum etiam, quod, ut Joannes dicit, aquæ multæ populi sunt. Et quia nos oportet semper manere in Christo, & Christum in nobis, vinum aquæ mixtum offertur, ut ostendatur quia caput & membra, id est Christus & Ecclesia, unum sunt corpus; vel ut demonstretur quia nec Christus passus est absque amore nostræ redemptionis, nec nos salvari possumus absque illius passione. *Chrysostratus* (in hom. 83.) Quia vero de passione, & cruce eis locutus erat, consequenter eum qui de resurrectione est sermonem inducit, dicens: *Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis usque in diem illum cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.* Regnum autem resurrectionem suam nominat. Ideo autem hoc de resurrectione dixit, quod scilicet cum Apostolis esset bibiturus, ne aliqui existimarent phantasmam esse resurrectionem; & ideo persuadentes hominibus de Christi resurrectione dixerunt Act. 10. „ Simul comedimus, & bibimus cum eo, „ postquam resurrexit à mortuis. „ Per hoc ergo ostendit quod videbunt eum suscitatum, & cum ipsis rursus erit. Quod autem dicit, *Novum,* clarè intelligendum est nove, id est novo modo, non quasi corpus passibile habens, & indigens cibo: non enim post resurrectionem comedit, & bibit, quia cibo indigeret, sed propter resurrectionis certitudinem. Quia vero sunt quidam hæretici in Sacris Mysteriis aqua utentes, non vino, demonstrat per hæc verba quoniam & cum Sacra Mysteria tradidit, vinum dedit, quod & resuscitatus bibit: propter hoc dicit, *Ex hoc genimine vitis:* vitis enim vinum, non aquam generat. *Hieronymus* (super *Non bibam de genimine vitis.*) Vel aliter. De carnalibus Dominus transit ad spiritualia. Quod vinea de Ægypto transplantata populus sit Israel, Sacra Scriptura testatur. Dicit ergo Dominus se de hac vinea nequaquam esse bibiturum, nisi in regno Patris. Regnum Patris fidem puto esse credendum. Ergo cum Judæi regnum receperint Patris, tunc de vino eorum Dominus biber. Attende autem quod